Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35268
Copyright: Innsbruck, Prämonstratenser-Chorherrenstift Wilten

aut detinenti in spiritualibus pacifice. In cuius rei testimonium etc.

Collacio ecclesie vacantis per religionem et est alcius pintacionis

Salutem. Merita probitatis tue quibus persona tua apud nos fidedignorum testimonio 179
commendatur nos inducunt ut tibi ad graciam reddamur liberales. Cum igitur parrochialis ecclesia .. dyocesis .. per liberam resignacionem tali nuper ultimo possidentis eandem in manibus nostris factam et per nos receptam ad presentacionem religiosorum virorum dominorum Abbatis et conventus ut dicitur pertinens ad presens vacare noscatur, Capituli nos volentes tibi premissorum tuorum meritorum intuitu graciam facere specialem, Decanum ecclesie etc. ut supra. Monentes et requirentes parrochianos utriusque sexus necnon redditualos censuarios et colonos terrarum et possessionum eiusdem ut ipsum in rectorem ecclesie prefate quantum in eis fuerit recipiant et admittant eique et nulli alii tamquam rectori suo obediant efficaciter et intendant, ac de fructibus redditibus et proventibus iuribus et obvencionibus universis respondeant et faciant quantum ad eos spectat integraliter responderi. Mandantes et committentes tali ut ipsum in possessionem etc. inducat etc. Et nota quod ista clausula debet precedere.

Collacio beneficii per executorem gracie in communi forma pauperum acceptati post processum

A. Executor ad infrascripta auctoritate apostolica deputatus. Discreto viro tali salutem 180
in domino. Cum quoddam beneficium ecclesiasticum quod decima et tragum vulgariter nuncupatur spectans ad collacionem etc. vacare noscatur ad presens per mortem qui ipsas decimas et tragum in beneficium ab ipsa ecclesia obtinebat, per nos pro te cum instancia requisiti volentes tibi de illo quod infra tempus debitum te asseris acceptasse auctoritate litterarum apostolicarum tibi in forma communi pauperum super beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura vacante vel vacaturo spectante ad collacionem etc. concessarum ipsum beneficium sic vacans si tibi de iure debetur et nulli alii cum omnibus iuribus et pertinenciis suis eadem auctoritate conferimus et providemus de illo, investientes te per birretum nostrum presencialiter de eodem. Non intendentes per provisionem et collacionem huiusmodi tibi preiudicare in aliis beneficiis proxime vacaturis pertinentibus ad collacionem predictam si decima et tragum huiusmodi non deberentur tibi de iure, quas nimirum providere valemus vel iuri in hac parte colligere de aliquo beneficio quod tibi et nulli alteri debere contigit, iuxta ad valorem quantitatis annue in litteris apostolicis comprehense cum dicta decima et tragum tanti valoris non existunt. Super quibus nos et collegis nostris presentibus omnimodo obstinuimus. In cuius rei testimonium etc.

Collacio ecclesie per executorem post processum ecclesie acceptate in forma speciali